

Universitätsbibliothek Paderborn

**Comitvm Par Genere, Potentia, Opibvs, Heroicaq. Virtvte
inclytum B. Godefridus, Vuestphalus, S. Romaricuſ,
Austrasius**

Serarius, Nikolaus

Mogvntiæ

Cap. VIII. Verba Patris Norberti de loco.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37252

CAP. VIII.

Verba Patri Norberti de loco.

IPSE autem præfatus pater Norbertus præ cæteris Capenbergen seconobium affectuosius diligebat, de quo etiam loco, quod non filebo, in conuentu fratrum aliquando residens asserebat; Fratres, inquit, carissimi, cum aliquando non longe hinc positus essem, vidi certissime super locum hunc descendentem Spiritum Sanctum. Contemplabam quoque alio tempore magna claritatis lumen in circuitu loci huius exortum atquediffusum. Proinde dilectissimi glorificate Deum nostrum, quia hic profecto est mons sanctificationis illius, mons, in quam, est, quem acquisiuit dextera eius. Hæc ego in eodem fratrum conuentu positus audiui, ne quis forte perfidiâ nubilosus, perspi-

cue

16 GODEFRIDI COMITIS
cūe derogare p̄̄sumat veritati. Au-
diui nihilominus eundem orthodo-
xæ veritatis assertorem in communi
Capitulo hæc, quæ sequuntur prose-
quentem: Scio, inquit, vnum ex profes-
sionis nostræ fratribus, cui de regula nostra
studiosius indaganti non quidem suis me-
ritis, imo confratrum suorum orationi-
bus, beatus visus est Augustinus, qui au-
ream regulam à latere suo dextro prola-
tam illi porrexit, seque ipsum luculento
ei sermone intimauit dicens: Quem vides,
Augustinus ego sum Hippomensis Episo-
pus. Ecce habes regulam quam ego conscri-
psi, sub qua si bene militauerint confratre
tui, filij mei, securi CHRISTO astabunt
in extremi terrore iudicij. Et quidemi-
ta humiliter tanquam de alio prole-
cutus est, nos tamen ipsum fui-
se, cui hoc reuelatum est,
indubitanter ad-
uertimus.

(:)

Cap.